


02 H 772





DE  
IVRE TESTANDI  
VNIENTIBVS

POST INITAM  
VNIONEM PROLIVM COMPETENTE,  
CAVSSISQVE, QVARE NON  
VBIQVE VNIO PROLIVM FREQVENS,  
SVBLATIS.

---

PRAESIDE  
IOANNE HARTWICH REVTERO

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE  
AD DIEM APRILIS c1810ccl.

DISSERET  
IOANNES LVDOVICVS WARNEYER  
SERVESTA-ANHALTINVS.

---

HALAE  
LITTERIS HENDELIANIS.

4)

DE  
IURE TESTANDI  
VNTIBVS

IOHANNES PROLIUM COMPETENT  
CASSISQVE QVAE NON  
VBIQVE VNO PROLIUM PROQVENS

FRANCO  
IOHANNES HARTWICH RECTOR  
AD PRAESIDIUM

IOHANNES LEONHARDUS VICE RECTOR  
CASSISQVE QVAE NON





§. I.



Si de qua re pactum initum, vel circa hereditatem viuentis adhuc versatur, vel non. Priori in casu pactum *pacti successorii* nomine venit. Sed successorium pactum vel ita initum, vt ius succedendi in eum transferatur, qui qua talis alioquin non successisset, vel non. Si prius, vel ipsi promittenti succedendum, vel tertio. Illo casu *pactum successorium adquisitiuum* hoc vero *dispositiuum* audit. Sin posterius, vel id agitur, vt succedendi ius amittatur, vel non. Illud pactum *successorii renunciatiui*, hoc vero *conseruatiui pacti* nomine venit. Pactum successorium adquisitiuum vel vltimae voluntatis dispositionem continet, vel non. Posteriori casu pactum successorium *adquisitiuum in specie* tale audit.

*Quid sit pactum successorium, adquisitiuum, dispositiuum, renunciatiuum, conseruatiuum.*

Perosos pacta successoria ita scimus fuisse Romanos, vt propter votum captandae mortis artesque hereditatarum subdolas eadem contra bonos mores esse iudicarint tantum non omnia. Confer *l. 15. 30. C. de pactis*. Adquisitiua pacta, si a militibus discesseris *cit. l. 19. C. eod.* reprobantur. Nec melior renunciatiuorum apud Romanos pactorum, conditio. Distinuerunt in dispositiuis, vtrum de hereditate

A

tate

tate tertii incerti conuenerint partes, nec ne: priori casu non inuualida semper, posteriori verum tum demum existimantur, quum non modo tertius ille certus consentiret, verum etiam ad extremum vsque vitae halitum non mutaret consilium *l. 3. §. 2. ff. pro soc. cit. l. ult. C. de pactis*. Sed nullum licet praesidium ex *Nou. Leon. XIX. ac c. 2. de pactis in 6.* petamus, eam tamen successoriorum pactorum & olim apud Germanos & hodie esse indolem, vt, dum alio ex capite legibus non repugnant, indistincte iure valeant optimo, omnibus in confesso est, qui & in veteri iure & hodierno non sunt hospites. Confer Ill. a LEYSER. *Sp. 43. M. 5.* Negat quidem cum aliis STRYK. *V. M. t. de pactis §. 15.* diuersum in pactis dispositiuis a dispositionibus Iuris Romani usum: de pactis successoriiis adq̄sitiuiis tamen non ambigit. *l. c. §. 18.* Germani, quum pactis, vt obligationem ciuilem plenam producerent, generatim praeterea nullam formam sanxerint, pacta certe successoria absque vlla solemnitate inita valida censenda vsque eo sunt, quo leges speciales eandem non statuunt. Vid. SCHILTER. *Ex. 8. th. 40.*

## §. II.

Parentes pa-  
etum succes-  
sorium ad  
quistiuum  
in fauorem  
liberorum  
inire possunt,  
quamuis illi  
ipsi nihil effi-  
caciter ac-  
ceptauerint.

Quum recentiori iure pacta in fauorem tertii inire liceat, ex quibus ei quantumuis efficaciter non acceptanti, ius quaeritur. *l. 26. pr. depof. l. 37. §. 3. de leg. 3. l. 3. C. de don. sub mod.*; pacta successoria adq̄sitiua non solum eum in finem celebrari possunt, vt alter pacifcentium alteri, verum etiam vt tertius pacifcenti succedat. Quare nihil impedit, quo minus parentes pactum successorium adq̄sitiuum inirent, ex quo liberis eorum ius succedendi alteri pacifcenti nascitur, quamuis efficaciter nihil acceptauerint.

Non desunt, qui veritatem principii in doctrina vnionis prolium vtilissimi, pacto in fauorem tertii inito, tertio non acceptanti ius quaeri, ex ipso pactorum in se consideratorum indole concipere fatigunt. Confer STRYK. *V. M. t. de pact. §. 12.* Dantur, qui ex natura pactorum iureque naturae & gentium principium illud deriuantes laterem lauare credunt. Vide BEYER. *diff. de iure ex acceptatione promissi pro altero facta.* Sunt qui Iuri Romano alii stipulari vetandi  
§. 18.

§. 18. *J. de inut. stipular.* & hodie stant, maiorem stipulatione hodie pacta vim habere non posse causam interferentes. Inter quos STRYK. l. c. adlegat CARPZOVIVM P. 2. C. 33. def. 25. seq. MEVIO P. 4. D. 112. aliisque vsu fori inualuisse principium visum est. Sed a ianua aberrant, qui vni alteriue sic sententium DD. adcedunt. Tota res, opinor, habita pactorum in se consideratorum naturae ratione, huc redit: si quis paciscentium alteri promisit, se tertio aliquid velle praestare, alterque absque praeuio mandato tertii efficaciter acceptauerit promissum, certe tertio adhuc dum nullum ius ex ista acceptatione quaesitum est, sed alter iste, qui acceptauit, sibi ipsi ius acquisiuit exigendi, vt promittens promissum tertio adimpleat. Tertius autem iste vel deinceps promissum quoque acceptauit, vel non. Si prius vel durante adhuc voluntate promittentis, seu efficaciter acceptauit, vel eadem iamam mutata. Efficaciter a tertio facta acceptatione, & tertius & alter paciscentium acceptans iure gaudent promissum exigendi, ille quidem, vt sibi, hic, vt tertio praestetur. Efficaci autem acceptatione tertii non adcedente, solus alter acceptans promittentem adigit, vt tertio, quod promisit, praestet, cuius quoque in arbitrio est, vtrum ius ex pacto quaesitum remittere velit, nec ne. A scopo aberrat, multum esse hic in subducendis horum adsertorum rationibus. Vberius ceterisque longe solidius rem omnem pertractauit WERNHERVS P. 1. obs. 182. atque obiectiones BEYERI l. c. diluit l. c. *Suppl.* Quum igitur tertius promissum alii factum in eius fauorem efficaciter acceptauerit, necesse est, si ius ipsi quaesitum; non abs re sane principium nostrum ex Iure romano recentiori hausimus.

§. III.

Qui pacta ineunt, iura, quae translata cupiunt, determinent, necesse est. Sed determinant, vel per relationem, vel non: priori casu vel relationem ad ea iura, quae in determinata quadam persona concipiuntur, vel minus. Vtroque casu iura, quae transferenda, possunt esse iura hereditaria. Quare pactum successorium adquisituum vel ita comparatum, vt iura succedendi determinen-

*Quid pactum successorium adquisituum relationum atque absolutum?*

nentur per relationem, vel non. Illo casu pactum successorium adquisituum *relativum* audit, hoc vero *absolutum*. Sed iura haec determinantur vel per relationem ad ea iura succedendi, quae in determinata persona concipiuntur, vel non. Prius pactum successorium adquisituum *in specie relativum* dicitur. Ex quo manifestum est, *in pacto hoc successorio relativum principium cognoscendi eorum iurium succedendi, quae in determinato quodam subiecto concipiuntur. Neque si pactum successorium adquisituum in specie tale absolutum cum liberis a parentibus celebratum, quin liberi quibus successio simpliciter promissa ob causam ad exheredationem alioquin sufficientem ab illa excludi nequeant, dubitandum est.*

Quae non per se, sed per relationem saltem ad determinatum ali-  
quod subiectum determinantur, iura in arte nostra haud incognita  
sunt. Exemplum eorundem privilegium, quod vocant, ad instar  
haec adduxisse sufficiat.

#### §. IV.

Quid unio  
prolium,  
vniti pro-  
prij & non  
proprij?

Pacta successoria adquisitiva ita inire, vt paciscenti succedendi ius tertio quaeratur, ius fasque est (§. 2.). Sed tertius hic vel est priuignus, qui pari cum propria sobole respectu parentum iure instruitur, vel non. Priori casu pactum eiusmodi *unionis prolium* nomine venit. Vt igitur unio prolium non sit, nisi pactum successorium adquisitivum eum in finem initum, vt liberi diuersorum matrimoniorum pari respectu parentum matrimonium ineuntium iure instruantur. Sed iura, in quibus exaequantur, vel non nisi successionem tangunt, vel non. Priori casu *unio prolium in sensu strictiori* dicitur. Liberi, inter quos unio prolium facta, *vniti* vocantur. Vniti vel ad vnientem referuntur, a quo procreati sunt, vel non. Priori casu *vniti proprij*, posteriori vero *non proprij* audiunt.

Non



Non alienae prorsus a nostro conceptu sunt definitiones, quas DD. acceptas ferimus, quarum aliquas heic in medium proferre licebit. Perill. ab ICKSTATT. *Op. III. de unione prolium Franconiae statutaria c. 1. §. 31.* unionem prolium explicat per pactum inter parentes binubos de liberis ex diuerso matrimonio natis aut nascituris utriusque coniugis pacificandis initum. STRYKIVS *V. M. de adopt. §. 10.* definitione vtitur, quod sit conuentio parentum de liberis diuersorum matrimoniorum ratione successionis adaequandis, vt tam quoad patrem, quam matrem pariter censeantur, ac si ex eodem matrimonio prognati essent. RICKIVS ab ARWEILER *tr. de unione prol. c. 1. n. 8.* verbum, inquit, unionis capimus, vt sit pactum magistratus auctoritate subnixum, quo diuersi matrimonii liberi in hereditatem proximorum deficientium parentum & hi in illorum pariter successuri ab his, quorum interest, declarantur. STRVVIVS *Ex. 3. th. 66.* unionem exponit per actum, quo causa cognita magistratus & eorum, quorum interest, consensu adcedente pater vel mater ad secundas transiens nuptias cum coniuge nouo paciscitur de liberis suis ex priori matrimonio procreatis cum postea ex communi matrimonio procreandis vel etiam cum iis, quos forte itidem ex priori matrimonio alter coniux suscepit, vniendis ita, vt praesertim quoad successionem omnes aequae, ac si ex se utroque geniti essent, censeantur. SCHAVMBVRGIO vno prolium est pactum successorium adquisituum solemne, vni cuius parentes cum liberis diuersi matrimonii successionem iuris communis communicant. BOEHMERVS in *introd. ad ius D.* definit unionem per conuentionem parentum de priuilegiis cum liberis propriis prorsus exaequandis. Quibuscum reliquorum explicationes, quum fere conueniant, est, quod sicco pede eadem lubens praeteream. Id saltim non possum, quin moneam, DD. vulgo duplicem unionis prolium a nobis distinctum significatum insuper habere, alios non requirere, nisi successionis, alios autem & reliqua filiorum iura cum priuignis communicata. Primus huic pacti mentionem iniecisse videtur GIPHANIVS *Ictus Sec. XVI. in Com. ad pr. §. t. de adopt.* vbi: alter, inquit, adoptionis modus per matrimonium hodie nostris moribus est restitutus, quo liberi dicuntur dari in Morganaticam sive Morgengabam. Nam saepe fit, vt instrumentum nuptiali pactum inseratur, quo liberi antea suscepti ex altero duntaxat communes fiant & velut ado-



*prentur.* Inepit ICTus partim quod adoptionem per matrimonium in  
 vniōne prolium statuerit, quum tamen vnitos *veluti* saltim adoptari  
 ipse constiteatur, partim quod liberos vnitos dari in Morganaticam  
 siue Morgengabam nugatus fuerit, ignarus forsā, quid hoc sibi velit.  
 Id certum est, quod significatus horum terminorum vītatus ab vniōne  
 prolium atque adoptionibus nimium quantum abhorreat. Iuri ro-  
 mano vniōnem prolium suos non debere natales ex iis ex facili adsequi-  
 mur, quae in Schol. ad §. 1. notata sunt. Non desunt tamen, qui-  
 bus contraria sententia adridet. Vide SCHROETER. *de pact. success.*  
*inter vnit. m. 1. n. 42.* Moribus Germanorum autem pactum nostrum  
 conuenire inde in aprico est, quod pacta successoria adquisitiua idem  
 illi non dāment. Non est itaque, quod regulis, quas DD. quidam  
 in eo casu sibi formauerē, quo in prouincia quadam vniōnem quan-  
 dam prolium initam esse vnquam, nulla experientia condocet, ali-  
 quid demus. Variis interim legibus prouincialibus, statutisque, ex  
 quibus Ius prouinciale Wurtembergicum, Ius Franconium, statuta  
 Francofurtana, Freibergensia, Wormatiensia & constitutionum Mo-  
 guntinam hęc adduxisse sufficiat, vniō prolium non modo confirmata  
 est, verum nouam quoque subinde induit formam, quam tamen ex-  
 plicatam dare curae hic cordique mihi non est, oculos non nisi ad ius  
 commune referenti. Quod autem si respicimus, non modo euitanda  
 difficultas obuia subinde in separandis parentum bonis, propter com-  
 muncem eorum vsum aegre distinguendis atque parentum cura heredi-  
 tatem liberis suis vitrico nouercaeque alioquin non successuris prospici-  
 endi, verum etiam ansam vniōni dare potuit liberorum prioris thori  
 fauor, quibus amores secundarum nuptiarum tantum non semper so-  
 lent esse perniciosi. *Satis constat,* inquit, KVLPIVS *de adopt.*  
*Et emanc. princ. §. 2. maioris tantum inter coniuges ac ipsos vtrius-*  
*que matrimonii liberos concordiae causa vniōnem prolium fieri.* Quum  
 autem vniō prolium pacto successorio nitatur, citra pulueris iactum  
 satis quaestioni fieri potest, vtrum vniō prolium testamento quoque  
 fieri possit? Certe non inficias eo, testamento recte condito priui-  
 gno iura succedendi tribui posse in tantam, immo maiorem partem,  
 quam ex vniōne succedere potuisset. Sed quum ad testamentum non  
 pertineat, quod in dispositione vltimae voluntatis nuda non subsistit;  
 eiusmodi priuignorum institutionem, quantumuis inuicem, vniōnem  
 pro-



prolium esse nego atque pernego. Neque confirmatio magistratus testamento, aut, vt cum DD. a nobis dissentientibus loquamur, vnioni in testamento contentae adcedens defectum essentialis cuiusdam vnionis partis supplebit. Quum vnio prolium non nisi in exaequanda successione liberorum diuersorum matrimoniorum versetur; magno haud opere laboramus in enotandis quaestiunculis, quibus DD. sibi solent placere, nimirum vtrum pari ratione parentes vnites vnitis, vnusque ex vnitis alteri succedant? Certe quod ad primam adinet quaestionem, RICKIUS *l. c. 6. n. 69.* non potuit non eandem affirmare, quum ipsam vnionis definitionem huic quaestioni adfirmandae adoptauerit. Vestigiis Rickii inter alios insitit STRYK. *tr. de Succ. ad int. diff. 8. c. 6. tb. 19.* ratione motus, quod successio iura regulariter soleant esse reciproca. Sed a STRYKIO ipse STRYKIUS in *V. M. r. de adopt. §. 14.* sublestat satis percipiens in successione conuentionali istam esse rationem eatenus discessit, quatenus expresse aliud cautum non fuerit. Verum enim vero effectum eiusmodi pacti successorii non negauerim, nec quicquam tamen ad vnionem prolium pertinet, praeterquam quod vnio huiusmodi pacto ineundo occasio esse possit. Nemo tamen, opinor, tam rudis erit ingenii, vt haec statuenti mihi ordinationem Moguntinam obuertat, vnionem prolium etiam ad eiusmodi successioem extendentem. Quamuis autem de reciproca parentum vnitorumque successione tam liberaliter senserit RICKIUS dissentit tamen non vna ex ratione in successione vnitis inter se tribuenda. *l. c. 6. 7. n. 4. seq.* Nec iniuria. Sed neutiquam rem acu tangit BESOLDIUS *ad ius Wurtenb. disp. 3. tb. 91.* nec pacto expresso fieri posse somnians, vt vniti inter se succedant. Quamuis enim non propter vnionem prolium, per se tamen eiusmodi pactum subsistit, neque ex adgnatione, quam noster & recte quidem ex vnione oriundam negat, sed conuentione alter vnitorum alteri succedit. Ceterum multi esse solent DD. atque operosi in indagandis vocabuli vnionis significatibus. Quamuis autem curatior diuersorum termini cuiusdam sensuum inuestigatio operae alioquin pretium sit; hoc tamen labore heic tanto magis superfedemus, quo certius est, terminum complexum vnionis prolium temere haud quemquam cum reliquis vnionis significatibus confusurum.

§. V.

## §. V.

*Vnio prolium continet pactum successorium acquisituum relatiuum.*

Quum igitur in vnione prolium per pactum successorium adquisituum parentum vnito non proprio paria iura succedendi tribuantur, quae in vnito proprio saltem tempore vnionis prolium celebratae concipiuntur (§. 4.); *vniti non proprii iura succedendi determinantur per relationem ad ea iura quae saltem vnionis tempore in vnito proprio concipiuntur.* Quare vnio prolium inuoluit pactum successorium adquisituum relatiuum. (§. 3.).

Si igitur propriae soboli iam competere poneret successionem patritiam, pactoque successorio inito priuigno ius succedendi tribueretur, vt ab intestato succeditur; licet conuentio eiusmodi pro inuoluita haud censenda sit, vnionis tamen prolium notissimos terminos egreditur.

## §. VI.

*Ab adoptione ad vnionem prolium non valet conclusio.*

*Vnionis prolium in dolens nequitiam ex adoptionis conceptu, quatenus est adoptionis, diiudicanda.* Vnio prolium est pactum successorium a parentibus matrimonium ineuntibus celebratum, nihilo tamen minus liberis vnitis non propriis ius succedendi tribuens (§. 4.), suumque valorem adeptum fert validitati pactorum successoriorum adquisitiuorum. (Schol. ad cit. §.). Quae quum vel maxime ab adoptionis conceptu adhorreant (per vulgata iur. pr.): vnionis prolium in dolens ex adoptionis conceptu, quatenus est adoptionis diiudicanda non est.

Quum vnio prolium nullam inuoluit adoptionem, nubem certe pro vnione amplectuntur, qui in vnione prolium adoptionem quandam iuris Germanici deprehendere sibi videntur. Vide Schol. ad §. 4. Argumentum inde ab adoptionis requisitis statim ad vnionem prolium, ferax tot in hac doctrina eorum, non potest non haberi proletrarium. Recte igitur Perill. ab ICKSTATT *Opusc. III. c. 1. ff. 24. debilem & imperfectam admodum adoptionis cum vnione prolium comparationem esse*

esse adferit. Faceſſant igitur quaefiones: vtrum ſexagenarius vnionem prolium inire poſſit, vtrum femina vnire valeat, vtrum inter vnitos matrimonium ſubſiſtat & ſexcenta alia. Quum autem ideae oppoſitae de ſe inuicem tantum negentur ſecundum totam intenſionem collectiue, non vero diſtributiue ſuntam; in vno alteroue vnionem prolium cum adoptione conuenire inſicias non iuerim. Certe RYCKIUS *cit. tr. c. 9.* triginta tres articulos, in quibus conuenientiam, atque quindecim enumerat, in quibus diſconuenientiam deprehendere ſibi viſus eſt.

### §. VII.

*Vnio prolium ſubſiſtit, quantumuis decreto magiſtratus atque conſenſu propinquorum quatenus nullum ius quaefitum ipsis euertitur munita non ſit.* Vnio prolium effectum ſuum valori paſtorum ſucceſſoriorum adquiſitiuorum acceptum fert (§. 4. & Schol.). Sed valida ſunt eius modi paſta, licet nulla publica magiſtratus adceſſerit adprobatio (Schol. ad §. 1.). Quumque vnionis prolium requiſita ex adoptionis conceptu, quatenus eſt adoptionis, haurienda non ſint (§. 6.); vnio prolium etiam abſque magiſtratus adprobatione valida eſt. Non igitur opus eſt, vt ſubſiſtat demum decreto magiſtratus.

*Ad vnionem prolium non requiritur decretum magiſtratus conſenſusque propinquorum.*

Conſenſu propinquorum aut ideo opus eſſet, quod in ipſorum praeiudicium vergere poſſit vnio, aut vt cauſae vniendorum liberorum eo conſultius ſit. Sed nullum adeſt ius quaefitum, quod inita vnione euerteretur (per hyp.). Quam ob rem priori caſu conſenſu propinquorum opus non eſt. Neque poſteriori caſu conſenſui propinquorum quidquam dandum eſt. Legitima enim portio atque ius quaefitum vel liberis ſaluum eſt, vel non. Illo in caſu ſuperuacaneus eſt iſte conſenſus (§. 4. & Schol. ad §. 1.): hoc vero nihil operatur.

Communior eorum opinio est, qui absque decreto magistratus  
 unionem initam omni effectu carere statuunt. Quumque decretum  
 magistratus praeuam ponat causae cognitionem, & hac & adcuratio-  
 ri quidem opus esse iudicant. Referunt ideo confirmationem unionis  
 prolium ad actus voluntariae iurisdictionis mixtae atque competentem  
 requirunt indicem, siue domicili, siue rei sitae. Immo uterque  
 iudex secundum quosdam DD. aduendus est, si personae utriusque  
 iurisdictioni subsunt. Non desunt tamen, qui & incompetentem iu-  
 dicem admittunt, absque idonea tamen ratione, si hypothese admit-  
 titimus, iudiciali opus esse auctoritate causaeque cognitione. Ipsam  
 causae cognitionem versari volunt tam circa numerum liberorum uni-  
 endorum, quam utriusque vniuentis facultates, ut inde adpareat,  
 vtrum numerus liberorum dispar nimium disparesque facultates sint,  
 nec ne. Vide SCHILTERVM *Ex. 3. §. 18.* Decretum, quod causae  
 cognitionem excipit, in scripturam redigi necessarium aliis vide-  
 tur, aliis saltim expedire. Sed disputant quoque, vtrum in ipso  
 unionis actu interponi debeat, an ex intervallo addi possit? Ratio-  
 nes horum omnium, quas in medium proferunt, partim ex adoptio-  
 nis natura, partim inde petita, quod magistratus sit videre, ne, si  
 dispar liberorum numerus disparesque nimium vniuentium facultates,  
 res vniendorum detrimenti quid capiat. Sed falsa est prior ratio  
 (§. praec.), fatua autem posterior. Aut enim salua remanet legitima  
 portio, iusque quaesitum in vado est; aut non: priori casu superua-  
 canea est auctoritas magistratus, posteriori vero nihil operatur. Certe  
 quum salua liberis legitima portione parentes a reliquis bonis eos pro  
 lubitu suo excludere possent quauis alia voluntatis dispositione incon-  
 sulto etiam magistratu; optime prospexerunt liberis decretum aliquod  
 magistratus, quo tuti praestarentur, ne saltim exclusio per vniuentem  
 prolium fieret. Consensum propinquorum requirit STRYKIVS *V.*  
*M. tr. de adopt. §. 10.* quoniam in ratione futurae successionis prae-  
 iudicium contingere possit. Alii autem necessarium iudicant in fau-  
 rem solius vniendi, ut stipatus sit consensu eorum, qui salutis eius  
 curam haberent. Quum autem in vtrumque finem unionem prolium  
 ad consensum propinquorum adstringere satis absurdum; non est,  
 quod multi simul in enodandis quaestionibus, quot propinquorum  
 consensu opus, vtrum sub propinquis adfines quoque comprehendan-  
 tur, an iuramento prius adstringendi sint &c.

§. VIII.

## §. VIII.

*Vnio prolium, saluo vnitis iure, si quod habent, quaesito, valida est, quantumuis vniti in eandem non consenserint.* Vnio prolium nititur pacto successorio adquisitiuo a parentibus inito (§. 4.). Sed nihil impedit, quo minus pactum successorium a parentibus ineatur, ex quo liberis pacifcenti succedendi ius oritur, quamuis ipsi nihil acceptauerint (§. 2.). Quare vnio prolium ita celebrari potest, vt vnitis liberis ius succedendi oriatur, quamuis ipsi idem illud non acceptauerint. Ponamus opus esse consensu vniendorum, certe requireretur, vel vt ius succedendi ex vnione sibi acquirerent, vel ne praetextu praeiudicii ex eadem in eosdem redundantis vnionem impugnarent. Priori casu consensus vniendorum foret acceptatio. Sed oritur ius succedendi absque acceptatione (per demonstr.). Posteriori vero, quum ius quaesitum saluum (per hyp.), nullum adest ius quaesitum, propter quod euersum vnionem impugnare possint. Neque adeo & hoc in casu opus est consensu vniendorum. Sed si ex vnione prolium ius succedendi oritur, valida est vnio, quantumuis vniti in eandem non consenserint.

*Non opus est consensu vniendorum.*

Communis quidem nostrae, fateor, aduersatur opinio, eaque DD. plerumque sedet animi sententia, quod ad vnionem prolium indistincte vniendorum consensu opus sit. CARPZOV. *L. 5. Resp. 6. n. 19.* Sed quum in casu, quo vniendi eius aetatis & iudicii non sint, vt consentire valeant, ipsi de valide inita vnione prolium non ambigant, BERGER. *O. I. L. 1. t. 3. §. 14.*; omnis eos fugit ratio, quare in alia omnia abeant, si a facultate consentiendi physica instructi sunt liberi. Longe absurdior adhuc eorum est opinio, quibus nec hic adquietescere adridet, sed liberos vniendos esse quoque volunt praesentes, si in remotis non agunt. Vide SCHROETERI *Diff. de pact. succ. inter vnit. m. 3. n. 23. 24.* Ponamus autem vnionem prolium vsque eo valere, vt nec ius quaesitum v. c. legitime portio vnitis propriis



in vado sit. Sane si a iure suo, consensum legitime prae'bendo in vnionem non discefferint, eatenus vnio irrita est, quatenus idem illud ius liberorum euerteret.

### §. IX.

*Neque auctoritate tutorum & consensu curatorum.*

Quum igitur consensu liberorum data sub hypothesi superfedere prorsus possint vnientes, si vel maxime consentire valeant liberi (§. 8.), tutores vero atque curatores id expediant, quod impuberum minorumue fuisset, si suae ipsorum directioni pares; *neque opus est auctoritate tutorum consensuque curatorum, si saluum est vnitis liberis, si quod habent quaesitum.*

Quum vnientorum consensum ad validitatem vnionis prolium communis DD. schola deposceret, non potuit quidem, quin, dum vnienti impuberes minoresue ad consensum inhabiles, ad auctoritatem tutorum consensumque curatorum confugeret. Cf. STRYK. l. c. §. 10. SCHROETER. l. c. n. 26.

### §. X.

*Tam ante, quam post matrimonium celebrari potest.*

*Vnio prolium tam ante, quam post celebratum matrimonium vnientium inita, matrimonio deinceps sequuto, valida est.* Antequam matrimonium initum, concipi possunt liberi diuersorum matrimoniorum, qui sibi in successione parentum exaequentur, siue iam dum ex diuersis matrimoniis adsint, siue ex vno adsint, ex altero ineundo autem matrimonio sperentur. Possunt parentes facultate paciscendi non destituti eum in finem pactum inter se celebrare successorium adquisitionum. Quum autem matrimonium requiratur, vt vnio prolium effectus suos nanciscatur; ante matrimonium vnio prolium non nisi sub conditione celebrata concipitur, quae deinceps quum matrimonium sequutum sit (per hyp.), existit. Quare quum nihil obsit, quo minus sub conditione vnio prolium celebretur, & ante inicum matrimonium in ita vnio prolium valet. Postquam



quam autem matrimonium initum est, cogitari possunt liberi diuersorum matrimoniorum, siue ex diuersis iam dum adsint, siue ex vno adsint; ex altero autem adhuc sperentur, in successione intuitu parentum exaequandi. Nihilque impedit, quo minus parentes facultate paciscendi non destituti eum in finem pactum celebrent successorium adquisitium. Quare quum eiusmodi pactum vnio prolium sit, vnio prolium & post initum matrimonium valide celebrari potest.

Mouent hic litem DD. quam secundum eos dedimus, qui ad nullum temporis momentum vnionem prolium adstringunt. Confer STRYK. de S. A. J. diff. 8. c. 6. t. 4. quamuis non desint statuta, quae vnionem prolium post consummatum matrimonium ineundam vetant. Vide Reform. Francofurt. p. 3. t. 10. §. 2.

§. XI.

*Vnio prolium de iis bonis ineunda est, quae liberae quoad transmissionem in successores vnientium dispositioni subsunt.* Vnio prolium inuoluit pactum successorium adquisitium (§. 4.). Sed in pacto hoc successorio de transmittendis bonis in successores iuxta voluntatem promittentis agitur (§. 1.). Quumque nullum pactum effectu non destitutum inire liceat, nisi de obiecto de quo etiam intuitu iuris, quod in alterum transferunt liberae possunt disponere (per vulg. pr. iur.). Vnio prolium de iis tantum bonis ineunda, quae liberae quoad transmissionem in successores vnientium dispositioni subsunt.

*De iis bonis celebrari debet, quae liberae dispositioni subsunt.*

§. XII.

Quum igitur fideicommissa, feuda antiqua, maiora &c. liberae quoad transmissionem in successores dispositioni possessionis non subsint; nec vnio prolium quoad eiusmodi possessiones inita effectu gaudet.

*Non de fideicommissis, feudis &c.*



Unionem prolium ea non adficere bona palam est, quae parens ad secunda vota transiens quoad proprietatem amisit, retinuit quoad usufructum.

### §. XIII.

*Cum quibus liberis propriis vnio prolium fieri possit generatim.*

*Cum liberis propriis omnibus, quibus ius aliquod parentibus succedendi, quod omnem tamen liberam parentum de bonis quoad transmissionem in successores dispositionem non aufert, vniri possunt quilibet liberi hereditatis adquirendae capaces.* Si parentibus matrimonium ineuntibus libera de bonis quoad transmissionem in successores disponendi facultas super est, cogitari potest pactum successorium, quod inire possent (§ I. & II.). Si liberi non proprii adquirendae hereditatis modo capaces, pactum illud successorium potest esse adquisituum, ex quo liberis non propriis ius aliquod succedendi acquiritur (§. 2.). Si liberis propriis parentibus succedendi ius aliquod competit, iura quoque liberis non propriis tributa determinari possunt per relationem ad iura propriis competentia (§. 3.). Sed vera sunt antecedentia (per hyp.), pactumque, quod obuersatur, est successorium adquisituum matrimonium ineuntium, quo liberis non propriis iura tribuuntur per relationem ad iura parentibus succedendi propriis competentia. Sed pactum hoc est vnio prolium (§. 4. 5.). Cum liberis ergo propriis omnibus, quibus ius aliquod parentibus succedendi, quod omnem tamen dispositionem parentibus non aufert, vniri possunt quilibet liberi hereditatis adquirendae capaces.

Liberos vnios eorum esse debere parentum, inter quos matrimonio locus esse potest, vel me non monente intelligeret quisque.

### §. XIV.

*Speciatim.*

Quum itaque liberi proprii legitime nati qua tales iure ascendenti tam paterno, quam materno succedendi gau-

gaudeant, quod omnem dispositionem parentum quoad transmissionem in successores liberam non excludit: *Cum liberis propriis legitime natis qua talibus a patre tam, quam a matre, quilibet liberi non proprii hereditatis modo adquirendae capaces uniri possunt. Idem quoque dicendum de liberis propriis naturalibus qua talibus ratione matris indistincte, ratione patris vero nec uxorem legitimam, nec liberos legitimos relinquentis: item de liberis illegitimis qua talibus ex damnato coitu non natis respectu matris non illustribus liberos legitimos habentis. §. 3. I. l. 5. C. ad SCt. Or. N. 89. c. 12. N. 118. c. 1.* Quumque unio prolium inuoluat pactum successorium realitium (§. 5.): *Si nulla praevia dispositione parentum proprii liberi iura succedendi adquisierunt, non nisi cum legitimis tam a patre quam a matre, illegitimis vero naturalibus indistincte a matre, a patre vero nec liberos legitimos nec uxorem legitimam relinquenti, spurii autem a matre non illustri liberos legitimos habenti uniri possunt liberi non proprii (§. 3).*

Confer sis *diff. Praef. de effectu querelae inofficiosi testamenti iuxta ordinem edicti successorii institutae intuitu non querentis §. 4.*

### §. XV.

*Si unio prolium celebrata, casu successionis existente, ea ratione unius non proprius unienti non proprio iure succedit, qua successio ab unientibus determinata.* Unio prolium pactum successorium adquisitium inuoluit (§. 4.) Sed successio ex pacto successorio resultans ea ratione, casu existente, ei competit, cui ius succedendi adquisitum, qua a pacifcentibus determinata (§. 1.). Quum igitur is, cui ius succedendi adquisitum, in unione prolium sit unius non proprius (§. 4.); casu successionis existente unius non proprius ea ratione unienti non proprio iure succedit, qua successio ab unientibus determinata.

*In successione unius non proprii videndum, quid inter pacifcentes determinatum.*

Si

Si quae in pacto contingenter adsunt liberae pacitentium dispositioni subesse, indeque ex inito pacto diiudicanda esse, certum est, uti est, non erit sane, quod de veritate adferri dubitemus, quum determinatus modus, quo succedat vnitus non proprius, nimium quantum differat.

§. XVI.

*Diuisio vnio-  
nis prolium.*

Quum igitur vnio prolium inuoluat pactum successorium relatiuum (§. 5.); principium cognoscendi iurium vnito non proprio competentium hauriendum est ex iuribus succedendi, quae in vnito proprio concipiuntur (§. 3.). Sed successio vniti proprii vel vniuersa consideratur, ut perinde sit, quo iure (ab intestato, testamento, pacto) deferatur, dum ex omni capite deferri possit, vel non. Priori casu vnio prolium *vniuersalis*, posteriori vero *particularis* audit. *Si igitur vnito proprio successio pactitia simpliciter iamiam debetur; vnionem prolium vniuersalem exsalem esse haud difficulter intelligitur.* Si vnio prolium celebrata, adsint liberi vniti non proprii necesse est (§. 4.). Sed vel vtriusque vnientis liberi non proprii iure succedendi instruantur, vel non. Priori casu vnio prolium *reciproca*, posteriori vero *non reciproca* dicitur. Prout autem vnio prolium vel effectu non destituitur, etiamsi vnus saltem vnientium liberi deinceps actu succedere possint (quoniam aut secundae nuptiae improles, aut vniti praemortui), vel minus: vnio prolium vel non *simultanea*, vel *simultanea est*. Nec absotum est vnionem diuidere in *totalem*, atque *partialem*, illamque, quae omnia vnientis non proprii bona, hancque, quae quaedam saltem adicit, explicatam dare.

Vitio forsan nobis dabitur, quod terminis vsi fuerimus, quos verfatissimus in arte nostra se ignorare fateretur cum ignarissimis. Sed quum nobis, quantum scimus, nemo distinctius, quod praefiscine dixerimus, hanc rem pertractarit, culpa certe vacamus terminos iuxta logi-

logices praecepta euentes, quos cufos iam non reperimus. Quamuis autem DD. folemnis non fit diuifio vnionis prolium in vniuerfalem & particularem non abhorret tamen a notionibus, quas fibi de vnione prolium formare. Sed obfunt diuifioni, quae HVBERTVS Prael. ad I. de succ. ab intest. n. 19. tradit, eum faltem fecundum Ius Frificum vnioni prolium effectum ftatuens, vt vni non proprii quafi tantum ab intestato veluti liberi fuccedant. Vnionem prolium non reciprocam, quam tamen vnionem prolium improprie talem atque aliquid vnioni faltem adine nominare fuperfedere potuiffet, in loco GIPHANII cit. in Sch. ad §. 4. fibi deprehendere vifus est THOMASIVS diff. de adopt. c. 2. §. 6. Duplici ratione mentem GIPHANII extricare admittitur 1) voculam *duntaxat* referendo ad verbum *communes*, vt fentus fit, in vnione prolium non agi de patria potestate acquirenda, fed duntaxat de communione ratione fucceffionis: 2) iftud *duntaxat* ad verba praecedentia *fufcepti ex altero* referendo, cuius tum fentus: adiici quandoque matrimonio euifmodi pactum, vt non ab vtraque parte liberi mutuo admittantur ad fucceffionem. Quem vltimam explicationem vnionem non reciprocam eruere, nemo, nifi talpa coecior, non videt. Sed quam dormitat hic bonus nofter Homerus! Potius fi quid video, planiffima GIPHANII mens fequens est: *saepe fit, vt in ftumento nuptiali pactum inferatur quo liberi antea* (antequam pacifcentes matrimonium inierunt) *fufcepti ex altero duntaxat* (ex priori coniuge, non vero praefenti, quocum ad fecunda vota tranfit, i. e. liberi non proprii feu priuigni) *communes fiant* (vniantur). Certe omnis GIPHANIVM fugeret ratio, fi cum THOMASIO eum interpretemur, quare vnionem prolium in genere comprobaturus, pactumque, quod faepius obuium, adducturus, in fpeciem quandam vnionis prolium rariorem forfan & minus frequentem delapfus fuerit. Lis quoque eft inter DD. vtrum vnio prolium fubfiftat, nec ne, fi ex inito matrimonio nulli nati fuerint liberi, aut nati quidem, attamen praemortui fint. Priori in cafu, fi adfint ex prioribus coniugiis ex vtraque parte liberi, facilius fucceffionem admittunt. Vide ZEPPEP. *Disc. iur. t. 2. n. 77.* Sin defunt, vnionem prolium exftinctam ftatuunt BOCER. *Cl. 1. diff. 12. th. 16.* BESOLD. *diff. 3. ad I. P. W. th. 89.* adhuc validam autem exiftimat TRVYK. *de S. A. l. diff. 8. c. 6. §. 6.* Posteriori vero cafu vnionem exspirare vult

C

ZEP-

ZEPER. l. c. subsistere autem RICK. l. c. c. 7. n. 73. Quum autem videndum sit, quid actum inter partes, non immerito vnionem prolium in simultaneam & non simultaneam dispecimus. Interim vnio prolium non simultanea exfulat secundum Ref. Francofurt. p. 3. t. vit. §. 18. Sed statutum, quo obtinet, Friburgense adlegat RICKIUS l. c.

## §. XVII.

*Vnito non proprio in vnione vniuersali semper successio quaedam competit, a qua sine iusta causa excludi non potest.*

*Si vnio prolium vniuersalis celebrata, atque vnitus proprius absque dispositione vltimae voluntatis ante vnionem a proprio parente facta consideratus & naturalium ratione patris numero non est; vnito non proprio aliqua semper competit successio, a qua ab vniente sine iusta causa excludi nequit.* Inter proprios per vnionem vniuersalem vnitos liberos numerari non possunt, nisi legitimi nati, naturales indistincte ratione matris, ratione patris vero nec liberos legitimos nec vxorem legitimam relinquentis, spurii autem intuitu matris non illustris liberos legitimos habentis (§. 14.). Sed vnitis his liberis propriis ius saltim competit exigendae a parente proprio legitimae portionis, si a naturalibus ratione patris discesseris, vide *Diff. Praesidis supra cit. §. 3. seq.* adeoque alicuius successio, a qua sine iusta causa excludi non possunt. *cit. diff. §. 1.* Verum enim vero principium iurium succedendi vnito non proprio competentium hauriendum ex iuribus, quae in vnito proprio concipiuntur (§. 3. 5.), vnionisque prolium vniuersalis ea natura est, vt perinde sit, ex quo fonte successio in proprium vnitum deriuetur (§. 16.), ita tamen, vt ius semel quaesitum ex superuenienti quadam vnientis dispositione augeri quidem, neutiquam vero, inuito vnito minui possit. Quare vnionem prolium vniuersalem data sub hypothese ita esse comparatam, vt vnito non proprio semper aliqua iure competat successio, a qua ab vniente sine iusta causa excludi non potest, prono alieo sequitur.

## §. XVIII.

## §. XVIII.

Si vnio prolium vniuersalis inita, vel dispositio quaedam post initam vnionem a parente proprio intuitu vniti proprii facta, vel non. Si prius, vel dispositio pactum successorium adquisituum in specie tale inuoluit, vel non. Sin posterius, vel vnitus proprius legitimae portionis ab vniente proprio exigendae iure instructus, vel non. Sin particularis vnio prolium celebrata, vel ea successio in census venit, quae vnito proprio absque omni dispositiue parentis competit, vel non. Posteriori in casu vel est dispositio vltimae voluntatis nuda, vel non.

*Varii casus.*

## §. XIX.

Si vnio prolium vniuersali celebrata, dispositio quaedam intuitu vniti proprii ab vniente proprio pactum successorium adquisituum in specie tale absolutum inuoluens adest, ius succedendi vnito non proprio ita quaesitum est, vt ne ob causam quandam ad exheredationem alioquin sufficientem excludi possit. Ponas cum vnito proprio ab vniente pactum successorium adquisituum in specie tale absolutum celebratum, certe ipsi ius succedendi adquisitum est, vt ne ob causam ad exheredationem alioquin sufficientem a successione patritia excludi possit (§. 3.). Sed inita vnione prolium vniuersali vnitus non proprius vnienti ita succedendi iure gaudet, vti proprius ei, siue ex pacto successorio adquisituo, siue ex alio capite succedendi ius habet (§. 16.). Sed adest dispositio quaedam intuitu vniti proprii pactum successorium adquisituum absolutum in specie tale inuoluens (per hyp.). Quin igitur, si, inita vnione prolium vniuersali, dispositio quaedam intuitu vniti proprii facta pactum successorium adquisituum in specie tale absolutum inuoluens adest, ius succedendi vnito non proprio

*Quodnam ius vnito non proprio competit in vnione vniuersali, si pactum successorium adquisituum in specie tale adest.*

prio ita quaesitum sit, vt ne ob causam quandam ad exheredationem alioquin sufficientem excludi possit, dubitandum non est.

Pañum istud successorium cum vnito proprio celebratum eatenus saltim effectu non destitui, quatenus pari modo succedendi ius vnito non proprio in vado est, aequum quemlibet rerum arbitrum non fugit.

§. XX.

*Quid, si dispositio vltimae voluntatis intuitu vniti proprii facta, obtineat?*

*Si, inita vnione prolium vniuersali, intuitu vniti proprii ab vniente proprio dispositio quaedam vltimae voluntatis, ex qua succedat, facta, vnitus non proprius, quatenus ius succedendi, si quod est, quaesitum dispositione ista augetur, reuocabili iure succedendi gaudet.* Si dispositio quaedam vltimae voluntatis, ex qua succedat vnitus proprius, facta, ius succedendi ipsi inde oritur, quod, dum voluntas hominum ambulatoria vsque ad mortem, reuocabile est. Sed inita vnione prolium vniuersali vnitus non proprius vnienti non proprio ita succedendi iure gaudet, vti proprius, siue ex dispositione vltimae voluntatis, siue ex alio capite succedendi ius hauriat (§. 17.). Verum enim vero adest dispositio quaedam vltimae voluntatis, ex qua succedat vnitus proprius (per hyp.), adeoque vnitus non proprius reuocabile ius succedendi habet, quatenus ius succedendi, si quod est, quaesitum dispositione ista auctum (§. 17.).

§. XXI.

*Quid obtineat, si nulla dispositio facta ab vniente neque intuitu vniti*

*Si vnio prolium vniuersalis inita, nullaque dispositio ab vniente, neque intuitu vniti proprii, neque intuitu vniti non proprii facta, vnito non proprio competit ius succedendi, vti ab intestato liberi succedunt.* Si nulla dispositio intuitu vniti proprii ab vniente proprio facta, neque testamen-



mentaria neque pactitia successio obtinet, adeoque vnitus proprius, quum e liberorum numero sit (§. 4.), vnienti proprio ab intestato succedendi iure gaudet. Sed inita vnione prolium vniversalis vnitus non proprius vnienti non proprio iure ita succedendi instructus est, vti proprius; siue ab intestato, siue ex alio fundamento succedendi ius habet (§. 17.). Verum vnitus proprio data sub hypothese ab intestato vt descendens succedit (per demonstrat.), nullaque intuitu non proprii obuia est dispositio vnientis (per hyp.). Vt igitur, si vnio prolium vniversalis inita, nullaque dispositio adest, tam intuitu vniti proprii, quam non proprii, non proprius succedat, vti liberi ab intestato succedunt, consequitur.

### §. XXII.

Ponas igitur vnito proprio ius competere a parente proprio legitimam portionem exigendi; vnitus certe non proprius hereditatis portionem exigendi iure gaudet, perinde ac si legitima esset portio. Quum autem ea hereditatis portio, quae ex pacto alicui perinde debetur, ac si esset ipsa legitima portio, *legitimae portionis conuentionalis* nomine veniat; *vnito non proprio data sub hypothese legitima portio conuentionalis competit.*

*Quid sit legitima conuentionalis.*

Eandem legitimam portionem vnito non proprio tribuit STRYKIVS *V. M. r. de adopt. §. 13. in f. vbi: Aliud ergo foret, si liberi tantum vniti & de bonis nihil dispositum, ita enim hoc tantum obtinuerunt, vt aequalem succedendi spem habeant, salua tamen testamenti factione vsque ad legitimam.* Quum autem vnito proprio, qui e naturalium liberorum numero est, intuitu patris nulla legitima portio competat, neque vnito non proprio, qui cum naturali filio exaequatus, legitima portio conuentionalis debetur.

### §. XXIII.



## §. XXIII.

Quid in vni-  
one prolium  
particulari  
obteneat?

*Si vnio prolium particularis celebrata, talisque suc-  
cessio vnito non proprio tributa, qualis vnito proprio ab inte-  
stato debetur, nulla intuitu vnitorum facta dispositione vni-  
tus non proprius succedit, vt liberi ab intestato succedunt.*  
Vnitus proprius, si nulla dispositio ab vniente proprio  
facta, ei ab intestato succedendi iure gaudet. Sed vnitus  
non proprius in vnione prolium particulari quoad succes-  
sionem in pacto vnionis determinatam pari iure instructus  
est cum vnito proprio (§. 5. 6.). Verum in vnione prolium  
determinata est successio ab intestato nullaque intuitu vni-  
torum obuia est dispositio (per hyp.). Si igitur in vnione  
prolium particulari ea successio vnito non proprio tributa,  
quae vnito proprio ab intestato debetur, nulla intuitu vni-  
torum facta dispositione, vnitus non proprius succedit, vti  
liberi ab intestato succedunt.

## §. XXIV.

Continuatur

*Ponas igitur vnito proprio ius esse exigendae legitimae  
portionis: vnitus non proprius in vnione prolium particu-  
lari legitima portione conuentionali instructus est. (§. 22.)*

## §. XXV.

Quando in  
vnione pro-  
lium parti-  
culari vni-  
tus prorsus  
excludi non  
possit?

*Si vnio prolium particularis celebrata, talisque suc-  
cessio vnito non proprio tributa, qualis vnito proprio ex  
pacto successorio absoluto in specie tali promissa; ius succedendi  
vnito non proprio ita quaeritur, vt ne ob causam ad exhe-  
redationem alioquin sufficientem excludi possit.* Si vnito  
proprio ex pacto successorio adquisitio absoluto in specie  
tali successio debetur, vnitus proprius ne ob causam ad  
exheredationem alioquin sufficientem excludi potest (§. 3.).  
Sed vnitus non proprius in vnione prolium particulari  
quoad successionem in pacto vnionis in specie determinatam  
pari

pari iure instructus est cum vnito proprio (§. 4. 5. 6.).  
 Verum in vnione prolium determinata est successio, qualis  
 ex pacto successorio adquisitio in specie tali vnito pro-  
 prio debetur (per hyp.). Quare si vnio prolium particu-  
 laris celebrata data sub hypothese vnito non proprio ius  
 succedendi ita acquiritur, vt ne ob causam ad exhereda-  
 tionem alioquin sufficientem excludi possit.

Quum iura vnito non proprio competentia, si ea ipsi in vnione  
 particulari tributa sunt iura, quae ex testamento vnitus proprius ha-  
 bet, nemini non sunt perfecta; disquirenda superest facultas testandi  
 disponendique vnienti non proprio, non obstante vnione, compe-  
 tens.

### §. XXVI.

Varii autem, si de iure disponendi de bonis vnienti *Varii casus.*  
 non proprio competente quaeritur, distinguendi sunt casus:  
 Vnio prolium vel totalis est, vel partialis. Si totalis,  
 vel ius disponendi inter viuos consideratur, vel per vltiman  
 voluntatem. Priori casu vel vnito non proprio ius suc-  
 cedendi competit, vti ex pacto successorio adquisitio in  
 specie tali succeditur, vel non. Posteriori vero vel vnito  
 non proprio ius succedendi competit, vti ex pacto suc-  
 cessorio adquisitio in specie tali succeditur, vel non.  
 Vltimo hoc casu vel vnitus non proprius ingratus est, vel  
 non.

### §. XXVII.

Si vnio prolium facta, atque vnito non proprio ius suc-  
 cedendi competit, vt ex pacto successorio adquisitio in specie *Quomodo in-*  
 tali succeditur; vnicens non proprius 1) fractus quidem ad *ter viuos di-*  
 dies vitae ex bonis suis, quae vnio adscit, iure percipit con- *ponere po-*  
 sumitque, sed nulla absque necessitate alienatio bonorum pro- *test vnicus?*  
 cedit, 2) omni autem iure per vltimam voluntatem de iisdem *1) negatiue.*  
 bonis

D





*bonis disponendi adeoque testandi destituitur.* Si pactum successorium adquisituum in specie tale celebratum, is, cui succeditur, ad dies vitae fructus ex bonis, quae pactum hoc adficit, percipiendi consumendique iure gaudet, ne-  
 utiquam vero praeter necessitatem alienandi (§. 1.). Sed vnitus non proprius iure succedendi instructus, uti ex pacto successorio adquisituum in specie tali succeditur (per hyp.). Quam ob rem vnitus non proprius data sub hypothese fructus ex bonis, quae vnio adficit, iure percipit atque consumit, neutiquam vero praeter necessitatem alienandi. *Q. e. Immo.*

Si pactum successorium adquisituum in specie tale celebratum, ei, cui succedi debet, per ultimam voluntatem de bonis suis, quae pactum adficit, disponere amplius non licet, neque adeo testari (per vulg. iur. pr.). Sed vnitus non proprius succedendi iure gaudet, uti ex pacto successorio in specie tali succeditur (per hyp.). Manifesta igitur est secunda theorematis pars.

### §. XXVIII.

*Applicatur ad unionem uniuersalem & particularem.*

Fac igitur, *unionem prolium totalem esse celebratam*, data quoque sub hypothese *ex omnibus bonis fructus iure suo percipit atque consumit, neutiquam vero bona sua praeter necessitatem alienat (§. 17.).* Pone *unionem partialem: alienatio bonorum praeter necessitatem ab vniente non facienda ad ea saltem bona restringenda est, quae vnio prolium partialis adficit (§. cit.).*

Quandonam igitur adserta locum sibi in vnione uniuersali aut particulari vindicet, proclive iudicatu est ex §. 19. 25.

### §. XXIX.

*Si vnio prolium etiam totalis inita, vnitus autem non proprius non succedit, uti ex pacto successorio ultimae voluntatis*

*2) Adfirmatiue.*

tatis dispositionem non complectente succeditur; vniens non proprio ius est inter viuos libere de bonis disponendi alienandique, dum ne alienatio fuerit inofficiosa. Si vnio prolium celebrata, atque vnitus non proprius succedit, vt ex pacto successorio vltimae voluntatis dispositionem non inuoluenti succeditur; ius succedendi vnito non proprio competens, non nisi ex principiis successionis intestatae, aut dispositionis vltimae voluntatis, successionisue testamentariae aestimandum est. Sed neutra successio facultatem libere de bonis disponendi alienandique, quoad alienatio inofficiosa non est, ei, in cuius bona succedendum, adimit (per vulg. iur. pr.). Sed vnies non proprius est in vnione prolium, cui vnitus non proprius succedit (§. 4.), eique tantum non semper legitima portio conuenientialis debetur (§. 22. 24.). Data igitur sub hypothese vnienti non proprio ius est inter viuos libere de bonis disponendi alienandique, dumne alienatio fuerit inofficiosa.

§. XXX.

Si igitur vnio prolium vniuersalis celebrata, nullaque dispositio vnientis adsit, vnienti non proprio integrum est, Quaedam  
libere inter viuos de bonis disponendi, alienandique, usque antecedenti-  
dum alienatio non inofficiosa sit (§. 21.). Idem quoque ob-  
net in vnione prolium vniuersali, si dispositio quaedam vlti-  
mae voluntatis intuitu vniti proprii valida adsit (§. 20.);  
nec non in vnione parculari, talisque successio vnito non  
proprio tributa, qualis proprio ab intestato competit (§. 23.).

corollaria ex  
bus § §.

Dissonae in hoc argumento DD. deprehenduntur visiones. Erroris quosdam DD. alienationem omnem etiam ex necessitate urgente susceptam censentes prohibitam arguit RICKIUS, tr. cit. c. 8. n. 7. 10. Ipse tamen ad necessitatis casum hanc vnientium alienandi potestatem adstringit. Nec defuere, qui hac in re ipsum adfectati sunt. Sed huiusce rei nos nulla incedit admiratio. Quem enim fugit, DD. ius

ex vnione prolium vnito oriundum non fecus aestimare, ac si ex pacto successorio adquisitio in specie tali, ex quo simpliciter successio debetur, oriundum esset, proinde adiectionem propositioni in §. 27. obuiam additam non habere, nisi declarantem. Quanam autem alienatio habenda sit inofficiosa, ideoque querela inofficiose rescindenda, heic disquirere nihil adinet. Vide autem THOMASII *diff. de legitima viuentis.*

§. XXXI.

*Quid in vnione totali obtineat?*

*Si vnio totalis inita atque vnito non proprio ius succedendi competit, uti ex pacto successorio adquisitio in specie tali vnitus proprius succedit; vnies non proprius iure cum effectu testandi caret. Sin successio vniti non proprii opposita se habet ratione; ius testandi integrum est vnienti non proprio. Si vnito proprio ex pacto successorio adquisitio in specie tali ius succedendi quaesitum est, vnitus non proprius a successione sua in bona, quae vnio adficit, ne ob causam ad exheredationem alioquin sufficientem excludi potest (§. 19. 25.). Ponamus testamentum ab vniente condi, tum vnitus non proprius aut institueretur, aut excluderetur. Sicuti prior actus est frustraneus, ita posterior nullus. Sed vnio totalis omnia vnientis adficit bona (§. 17.). Quare si vnio totalis inita, data sub hypothesi vnies non proprius iure cum effectu testandi destituitur. Q. e. Imum.*

*Si vnitus non proprius iure succedendi non gaudet, uti proprius vnitus ex pacto successorio adquisitio in specie tali succedit, successio in bona, quae vnio adficit, aestimanda est, aut ex principiis successionis intestatae, aut successionis per vltimae voluntatis dispositionem determinatae. Sed neutrius successionis principia ius cum effectu testandi ei adimunt, cui defuncto succedendum est. Quare nec vnio prolium data sub hypothesi in bonis, quae adficit, vniente non proprio prohibet, quo minus testetur (§. 4.)*

(§. 4.). Sed vnio totalis omnia bona adfcit (§. 17.).  
 Quare sub hypothefi theor. ius cum effectu testandi vni-  
 enti non proprio integrum est. Q. e. II dum.

Quum vnio partialis quaedam vnientis bona faltem adfcit, in bonis  
 quorum intuitu vnio prolium celebrata non est, neutiquam potestas  
 parentum quavis ratione disponendi per vnionem reſtricta est. In re-  
 liquis autem idem, quod demonstratum dedimus, obtinere ex facili  
 perſpicit, cui non fungus pro cerebro est. Maxima autem inter  
 DD. de quaestione, vtrum ius testandi per vnionem prolium paren-  
 tibus ademtum? exſtant ſententiarum diuortia. Dantur, qui ablatum  
 exiſtimant teſtamenti condendi arbitrium. Conf. *MVS CVL. de ſucc.*  
*conu. m. 3. n. 155. RICK. tr. cit. c. 3. 18.* Secundum quos Ill. a *LEY-*  
*SERVS Sp. 20. m. 7.* litem dare nullus dubitauit. Ratione vtuntur,  
 quod ius vnitis ex vnione quaesitum vltima parentum voluntate adimi  
 non poſſe tralatitium ſit, ſed ſubleſta admodum quoad hanc quaestio-  
 nem. Sumunt quippe in omni vnione prolium ius ita eſſe vnitis quae-  
 ſitum, vt ne a minima quidem parte excludi poſſint, non vero pro-  
 bant. Sunt, qui, dum vitia vitant, in contraria ruunt, nullamque  
 ademtam teſtandi facultatem autumant. Conf. *FICHARD. Vol. I.*  
*Conf. 7. n. 7.* Ad ſequentem diſtinctionem res redire videtur *FRANTZ-*  
*KIO L. 2. Ref. vlt.* Parentes aut ſimpliciter de bonis ſuis, aut  
 de vnione ipſa diſponunt. Poſteriori caſu potestatem teſtandi negat  
 priori vero diſtinguit; aut magna inaequalitas per teſtamentum inducta  
 eſt, aut non. Hocque demum caſu validum exiſtimat teſtamentum.  
 Sicuti autem a tota non aberrat via *FRANTZKIVS*, ius per vltimam  
 voluntatem de ipſa vnione diſponendi in ducium vocans; ita ſequenti  
 diſtinctioni nihil ponderis ineſt. Non deſunt denique, qui cum *STRY-*  
*KIO V. M. t. de adobt. §. 13.* rationes ſic ſubducunt: Aut vnio pro-  
 lium quoad omnia bona indiſtincte facta, aut de bonis nihil diſpoſitum  
 eſt. Priori caſu teſtamenti condendi facultatem ſuperſeſſe negant,  
 quantumuis laeſio legitima portiois ceſſet, ius, quoad ex pacto,  
 habent liberi, arbitrio alterius non ſubiacere praetexentes. Poſteriori  
 vero ſaluam teſtandi facultatem relinquunt. Sed non tam poſteriori  
 in caſu, quam priori eos a ianua aberrare, ex antecedentibus ma-  
 niſeſtiſſimum eſt.



*Vnitus non  
proprius  
querelam in-  
officiosi in-  
stituere potest.*

§. XXXII.  
Quum vnito non proprio interdum competat legitima portio conuentionalis (§. 22. 24.); testandique facultas tantum non semper vnienti integra sit (§. praec.); concipi potest vnitorum non propriorum exheredatio quaedam, quamuis improprie talis, ex iisdem regulis diiudicanda, quibus exheredatio intuitu vniti proprii aestimatur (§. 5.). Quare exheredatio haec, vel rite facta, vel non. Priori casu vel rite, at inique, vel iuste facta. Testamentum igitur veluti inofficium concipi datur, quo vnitus non proprius rite quidem, at inique exheredatus est. Non absurdum ergo est querelam testamenti huius veluti inofficiosi ab vnito non proprio rite quidem, sed inique excluso instituendam admittere. Confer *diff. PRAES. supra cit. §. 18. seq.*

Contentionis ferra inter DD. reciprocatur, vtrum vnitus non proprius propter ingratitude N. 15. c. 3. notatum exheredari possit? Adfirmant quidem RICK. l. c. c. 10. n. 40. & STRYK. de S. A. I. *diff. §. c. 6. th. 28.* Sed quamuis iure nos destitui STRYKIVS in *V. M. t. de adopt. §. 16.* fateatur, quem testamenti factionem, si vnio quoad vniuersa bona inita sit, reiecerit, ex aequitate tamen defendit, fore, vt magistratus iniuriam passo parenti succurrat. Quae si ad principia, quae enoluta dedimus, tanquam ad Lydium lapidem exigimus, ratio in promptu est, quare aliter rationes subduxerimus.

### §. XXXIII.

*Cur vnio rari-  
us existat?*

Sed rarius in praxi occurrere vnionem prolium adfeuerat STRYKIVS *V. M. de adopt. §. 9.* ipsique intra annos ex variarum Germaniae pronunciarum actis Facultati oblati nunquam vnionis prolium casum obseruare licuisse, quum tamen bina vice adoptionum casus fuerint oblati. Et quamuis *Perill. ab ICKSTADT l. c. §. 29.* in ducatu Franconiae & adiacentibus prouinciis pacta vnionis prolium fre-



frequentissima testetur, calculum tamen STRYKIO quoad terras Saxonicas & Germaniae inferioris addit. Sed THOMASIVS *cit. diff. c. 2. §. 6.* non tantum in Germania inferiori, verum etiam superiori, non obstantibus variis istis ordinationibus atque statutis, vnionem prolium in viridi obseruantia esse negat. Sed tam raram auem in his terris esse vnionem prolium non est, quod miremur. Ex communi enim DD. sententia 1) vnio prolium non valet, nisi consensus ipsorum vniendorum adcesserit. Verum quum spes successionis, quamuis legitima portio salua, vnio proprio tantum non semper imminuatur, aegre in vnionem prolium consensum suum dabit. 2) Consensu non subsistere tradunt. Sed non desunt rationes, propter quas & sibi & vnitis vnione prolium parum prospectum putent, adeoque dissident. 3) Decretum magistratus, absque quo vnionem non subsistere tradunt, difficiliter redditur propter momenta, ad quae causae cognitionem dirigi volunt. Confer *Schol. ad §. 7.* Quum 4) vnionem prolium dispositionem parentum tam inter viuos, quam mortis causa excludere aut saltem admodum restringere perhibeant, vix est, quod vnio prolium, res parum parentibus proficua, adridere iis potuerit. Eadem vnionis prolium impedimenta adducit THOMASIVS *l. c. §. 6. n. f.* Verum enim vero remotum est omne, quicquid impedimentorum adfuit. Sic 1) non opus est consensu vniendorum (§. 8.): 2) consensu propinquorum superse-demus (§. 7.): 3) decretum Magistratus non curamus (§. *cit.*): 4) non omnis vnio prolium facultatem tam inter viuos, quam mortis causa disponendi exheredandique admittit (§. 28. 30. sep.). Quumque quod reliquum est, rationes, quas ansam vnioni prolium ineundae dedisse in *Schol. ad §. 4.* monuimus, etiamnum vnionem prolium vel maxime sua-deant; causas, propter quas vnio prolium non vbique frequens, sublatas esse certo confidimus.



02 H 772


ULB Halle 3  
003 099 105



VD 18







DE  
IVRE TESTANDI  
VNIENTIBVS

POST INITAM  
VNIONEM PROLIVM COMPETENTE,  
CAVSSISQVE, QVARE NON  
VBIQVE VNIO PROLIVM FREQVENS,  
SVBLATIS.

---

PRAESIDE  
IOANNE HARTWICH REVERTERO

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE  
AD DIEM APRILIS CIOICCL.

DISSERET  
IOANNES LVDOVICVS WARNEYER  
SERVESTA--ANHALTINVS.

---

HALAE  
LITTERIS HENDELIANIS.

